





DISSERTATIO EPISTOLICA
HISTORICO-IVRIDICA

DE

IVRISCONSVLTO, AB ORATORE DEVICTO
ORATORIS TANDEM VICTORE

QVA

ABITVM EX HAC ACADEMIA
VIRI IVVENIS NOBILISSIMI, DOCTISSIMI
AC CLARISSIMI

IOANNIS FRIDERICI
EGERLANDI

BORVSSO-POMERANI

IVR. CVLTORIS ASSIDVI, SOCIETATIS IN INCREMEN-
TVM VIRTVTIS AC DOCTRINAE IN ATHENAEO
IVXTA SALAM EFFLORESCENTIS
MEMBRI ORDINARIJ

NOMINE

DICTAE SOCIETATIS

CELEBRAT

CHRISTIANVS IACOBVS VEIELIVS

VLMENSIS

I. V. CVLT. ATQVE EIVSD. SOCIETATIS COLLEGA ORD.



IENAE

EX OFFICINA TENNEMANNIANA.

A. S. R. ∞ 1749, 8.

32

INSTITUTIONS OF THE
UNIVERSITY OF ALBANY

GEORGE W. WOOD

LECTURE IN THE
ACADEMY OF
ARTS AND SCIENCES

FRIDRICH
EGENLANDER

CHRISTIAN JACOBUS VON
US

EX OFFICIO DIRECTOR
D. M. COLLEGE LIBRARY



anto maiori cura ac contentione, temporibus liberae Reipublicae Romanae, nobilissimi ac clarissimi viri eloquentiae studium coluerunt, omnemque in comparanda in dicendo vi ac copia posuerunt operam: quanto splendidiori dignitate et honore, ii, qui hac arte excellebant, semper fuerunt ornati. Etenim haec studia habebant ac conciliabant gratiam iisque viam ad praeclarissima munera ac amplissimos honores patefaciebant certissimam. *Eloquentiae studio, teste CICERONE*, maxima proposita erant praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem.* Praeterea iurisconsultis, qui his temporibus haud parum luminis disputationibus fori ac responsis adfundebant iuri, illudque curatius exponere omni contentione nitentur, et sua iurisscientia, ut Reipublicae prodesse, valde sudabant. hincque haud minori sese dignos honore existimabant, nihilominus tamen longe praeferebantur Oratores. Qui, ne iurisconsulti ad parem dignitatem eueherentur, semper et quavis occasione interceserunt, in primis eos, eorumque scientiam criminando et acriter perstringendo. Tantum autem abfuit, ut iuris civilis qui solum imbutus scientia, nomine oratoris superbiſſe potuiſſet, ut potius, quemadmodum nomine;

A 2

ita

* de Orat. lib. I. n. 15.

ita et munere inter se longe differret; si quidem tunc vtriusque artis eloquentiae scilicet, et iurisprudentiae termini erant probe distincti. * Eloquentia tunc sola stabat a partibus oratorum. Hi causas agebant, et tantum, si quid maioris momenti incideret, iurisconsultorum, quos ceteroquin in causis iuris ut ministros suos habebant, subsidio utebantur. ** Sat in eloquentia profecisse sibi quisque videbatur, si ornate dicere, si hominum mentes vel ad iram, aut ad odium aut dolorem concitare, si quoque ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiam eas reuocare valeret; etsi vel iuris studium plane neglexerit. * * Potest enim aliquis eloquens et in dicendo diuinus esse homo, et licet ius civile contemnat, eiusque scientia et institutis maiorum nudatus sit, aliorum causas prudenter defendere ac tueri armis eloquentiae, si CICERONI, Oratorum Principi id multis euincenti exemplis credendum est. * Iurisconsulti vero, vel domi, vel in foro de iure referentibus atque consulentibus respondebant. ** Etenim in eorum numerum referendi sunt, teste ANTONIO apud CICERONEM, * * *qui legum et consuetudinibus eius, qua priuati in ciuitate uterentur et ad agendum, et ad respondendum, et ad cauendum periti essent.* Quae quum ita sint, legibus in corpore, uti vocant, iuris contentis et iurisprudentiae eloquentia contradistinguitur. * * Vtrique autem erant in ciuitate et gloriae et dignitatis strenui inter se aemuli. Verum enim vero, quemadmodum oratores arte sua non solum Reipublicae maxime prodesse, eius libertatem contra aduersarios tuendo, sibi adeo persuadebant, ut omni laude ac gloria alios plane indignos iudicarent, sed et a toto

* Conf. Amplif. CORN. VAN BYNCKERSHOEK obl. iur. rom. lib. VII. c. 6. et in praetermiss. ad L. 2. D. de Orig. iur.

** CICERO de orat. Lib. I. n. 236. Idem. I. c. n. 236. et 253. item. Topic. XVI.

* * Idem de Orat. Lib. II. n. 53.

* de Orat. lib. I. n. 167. 171. 172. et 238.

** HEINECC. in syntagm. Antiqu. rom. Lib. I. Tit. II. §. 33. BRISON de formul. Lib. III. n. 85. sqq. SLEVOGT in opusc. de Sectis et Philof. Ictor. p. II.

* * de Orat. lib. I. c. 49.

* * L. 2. §. 40. D. de Orig. iur.

toto populo defensores status liberi patriaeque colebantur; ita etiam hanc de se conceperant opinionem, se iurisconsultis ob utilitatem ac excellentiam artis longe esse anteponendos. Idcirco eos contemtui habuerunt, et quavis occasione iis auctoritatem suam ostenderunt. At enim vero eloquentiam tunc primum locum in Republica Romana tenuisse, nos conuincit CICERO* *Quis unquam, ait, dubitauit, quum in Republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis, pacatisque rebus secundas iurisscientia? quum in altera gratiae, praesidii plurimum esset, in altera persecutionum cautionumque praeceptio, quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet.* Quod si vero confideremus iurisprudentiam muneri consequendo impedimento fuisse: eam ne secundas quidem tenuisse videtur. Namque ad consulatus, ceterosque splendidos honores facile aspirabant, qui operam debebant eloquentiae studio, quum e contrario ab iisdem iurisconsulti arcerentur. Id quod his dilerte docet verbis CICERO:** *Quae sunt artes, quae possunt locare hominem in amplissimo gradu dignitatis, vna imperatoria, altera oratoris boni. Nulla vero est in disciplina iuris munita via ad consulatum.* Quanto itaque quisque plus dicendo valebat, tanto facilius ad honores emergebat; tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem habebat ac probabat. Sine eloquentia aut assequi in ciuitate aut tueri conspicuum ac eminentem locum vel magnam adipisci potentiam poterat nemo; hos e contrario, qui arte ornate dicendi praestabant et praetura et consulatus vocare vltro videbantur. Hoc quid praeclarium et illustrius esse potuisset? Vnde factum est, vt vilipenderentur iuris cultores. Quapropter etiam CICERO** *SERVIO SVLPICIO* ita respondit: *Quoniam mihi videris istam scientiam iuris, tanquam filiulam osculari tuam, non patiar*

A 3

* de Oratore. n. 141. conf. eund. lib. 1. de Orat. n. 239.

** Orat. pro M V R A E N. n. 23. et 28.

* Dialog. de Oratorib. seu de causis corruptae eloquentiae c. 36.

** Orat. pro M V R A E N. n. 23.

patiar te, in tanto errore versari, ut istud nescio quid tantopere didicisti, praeclarum aliquid esse arbitreris. Quod quidem ius civile didicisti, non dicam operam perdidisti, sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consularum viam. Praeterea Oratores putabant, iuris consultos per se nihil, nisi leguleios quosdam cautos et acutos, praecones actionum, cantores formularum et aucupes syllabarum esse, et iuris scientiam eloquentiae tanquam ancillulam vel pedissequam esse adiungendam. * Accusabantur denique iurisconsulti, ac si ex ingeniis et suo arbitratu ius constituerent. Cuius rei eos arguit C I C E R O: ** *Quum permulta, inquit, praeclara legibus essent constituta, ea iurisconsultorum ingenio pleraque corrupta ac deprauata sunt.* En! ergo humilem ac miserum iurisprudentiae Romanae statum. Qui tam diu durauit, quam diu viguit in republica eloquentia, illaque in summa fuit dignitate. Nimum quantum et gloriabantur oratores, iurisprudentiam valere parum sine auxilio eloquentiae. Quid autem honorificentius, quid gloriosius potuisset esse ordini oratorum, quam tanta auctoritate esse, ut ad eneruanda iurisconsultorum responsa duntaxat illis opus esset comata et ornata oratio? Id quod iurisconsultis obiicit C I C E R O: ** *Vestra, inquit, responsa ac decreta et euertuntur saepe dicendo et sine defensione oratoris firma esse non possunt.* Quo itaque vilitatem et exiguitatem suam ostenderent, in responsis plerumque tunc vsi verbis, *suadeo, videtur, puto, sentio* *. Et hinc disertum haberi pulcrum et gloriosum, sed contra mutum et elinguem videri, deforme habebatur. Eiusmodi fuit facies iurisprudentiae, quam diu Romana respublica inconcussa stetit, priscamque obtinuit libertatem. Itaque iurisprudentiae studium, teste C I C E R O N E, isto tempore iacuit. **

Hoc

* C I C. de Orat. lib. I. n. 236.

** Idem in Orat. pro M V R A E N. n. 27.

** in Orat. pro M V R A E N. n. 29. In Oratione pro A. C A E C I N A n. 70. exemplum adducitur C R A S S I, qui in iudicio centumvirali obtinuit, ut

S C A E V O L A E responsum minime attenderetur. conf. L E Y S E R I spec. 6. med. 2.

* H E I N E C C I V S in Syntagm. Antiq. rom. Lib. II. Tit. II. §. 37.

** in Orat. pro M V R A E N. n. 30.

Hoc autem aliter quomodo potuisset fieri? quum summum imperium apud populum fuit. In liberis enim rebuspublicis potissimum regnabat ars oratoria. * Plus suauitate et verborum lenociniis, quam firmissimis perfici poterat iuris argumentis. ** Haec ars videbatur praesidium amicis, auxilium alienis, salus periclitantibus, inuidis vero et inimicis metus et terror. Post vero quam Romana respublica se, libertatemque suam vnus imperio subiecit, actum erat de artis oratoriae auctoritate. Haec enim cum libertate Romana nascebatur, ab illa fouebatur et hac denique intercedente expirabat. Iam iurisprudencia, quae caput coeperat extollere, prisicum eloquentiae splendorem obscurauit, quin immo fere deleuit. Quid enim opus multis longisque verborum ambagibus, quum vnus moderatoris voci omne obsequium praestari debeat? Itaque humilis ac neglecta iurisprudencia tandem emerferat, et de aemula, dicendi nempe arte triumphauit. Iam iurisconsulti ad praeclara reipublicae munera euehebantur, nec amplius eloquentiae cultores iis anteponebantur. Hocce vero longe faustissimum iurisprudenciae sidus maiori cum splendore sub OCTAVII AVGVSTI imperio subortum est. Quam primum gubernacula Reipublicae consecuti sunt imperatores, priorem licentiam restringebant, frenaque imponebant periculosae isti eloquentiae, ne quisquam amplius turbare, populumque flectere aut concitare posset. Iam tum CNEIVS POMPEIVS, quum in tertio consulatu contra rempublicam, illam libertate priuatus, varia machinaretur, cancellis circumsepire nonnullis audebat artem dicendi, ne amplius quiduis in quemuis dicere liceret. Quod CAESAR et AVGVSTVS memores periculosae seditionis praeteritorum temporum, motuumque ab Oratoribus excitatorum acriter sunt persecuti. Qua propter imperantes statuebant e re sua esse, aliud hominum genus sibi eligere, cuius subsidio, nouam regnandi potestatem et rationem stabilire, firmamque reddere possent. Nulli huic instituto magis

* LEYSER spec. 6. med. 1.

** Dialog. de Oratorib. c. 40.

*** Dialog. de Oratorib. c. 38. add.

VALER. MAX. Lib. VI. c. 2. n. 4.

gis idonei atque apti videbantur quam iurisconsulti. Praeterquam enim quod Caesaribus addictissimi essent, opus quoque erat, ut conuenienti modo populi libertati adhuc adfueti animum eo deflecterent, ut vnius imperium eligeret atque amplecteretur, illudque pristino statui longe praeferret. In eam populum ergo iurisconsulti adducebant opinionem ut crederet, legis vigorem habere, quod principi placeret, eiusque mandatis exacte esse parendum. Hanc ob causam imperatores non solum auctoritate sua eos tuebantur, sed et summam dignitates muneraque reipublicae in illos conferebant, quidquod? his imperii gubernacula et peculiarem concedebant gratiam, iudicantes suam et communem omnium salutem ab iis maiora ac laetiora, in dies capere incrementa. Quam autem oratores pristini fastigii nobilitatis et libertatis haud immemores multa saepe proderent indomiti animi documentis, ostenderentque se insensos nouo reipublicae statui esse: Caesares et ministri eorum oderant omnes, qui viuendam et incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus vilem exercebant, neque quiescebant prius, quam illos, qui falsorum saepe criminum accusauerant, vel egissent in exilium, vel morte mulctassent. * Non est igitur, quod miremur, Caesaris VESPASIANI temporibus oratorum pristinam laudem ac gloriam fuisse fere penitus extinctam nec amplius eorum adhuc superfuisse nomen, et qui in eorum locum successerant, *causidicos* et *advocatos* et quiduis potius, quam oratores fuisse adpellatos. * Posteaquam igitur OCTAVIVS AVGVSTVS post cruentam ac horrendam IVLII CAESARIS internecionem et deuictum ANTONIVM ad summum reipublicae fastigium peruenit, omnisque in eum potestas a populo fuit translata, ** ita extulit iurisprudentiam. Omnes quidem iurisconsulti libera in reipublica, quibus esset studiorum fiducia, de iure respondendi habe-

* vid. TACIT. *Annal.* Lib. XIII. c. 42. conf. LEYSERI *spec.* 6. med. 2.

** *Dialog. de Oratorib.* c. I.

* HVBER. in *Dial. de corrupta eloquentia for.*

** DIO CASSIVS *Lib.* LIII. et LIV. add. FRANC. de AMAYA L. I. *Obferu.* c. 1.

habebant potestatem, * verum haec responsa neque iudices neque clientes obligabant, sed potius illa saepissime superhabita fuisse constat. ** Verum enim vero AVGVSTVS primus respondendi de iure facultatem certis tantum hominibus beneficii loco indulfit, adstrinxitque iudices, ne ab eorum responsis amplius discederent. *** Et ab hoc tempore illi, quibus haec prouincia fuit demandata, leges ad praesentem Reipublicae statum omni coeperunt cura adplicare et nonnumquam detorquere. Eum autem in finem paucis tantum hanc respondendi de iure veniam imperator dedit, vt possit seligere eos, qui sibi essent obsequiosissimi, aptissimique ad leges adcommodandas et conformandas ad nouam imperii rationem. Vnde maximo quoque studio sibi adiunxit ATEIVM CAPITONEM, consulemque creauit, **** quippe qui adulandi, seque in Caesaris gratiam insinuandi artem, vti TACITVS * et SVETONIVS ** obseruarunt, optime callebat. Nec minus TREBATIVS TESTA, magnae famae illius seculi iurisconsultus tanta in gratia apud AVGVSTVM fuit, vt illum in consilium saepe adhibuerit. *** ANTISTIO LABEONI benevolentiam quoque ostendere, sicque eum in partes suas trahere animus erat Principum optimo; quare ipsi consulatum obtulit, quem vero modeste declinavit. **** Sed contra PVBLIVS ALFENVS VARVS, *** et si vilis fuerit primum conditionis, quum CRE-

MONAE

* L. 2. §. 47. D. de Orig. Iur.
 ** HEINECC. in Syntagm. Antiq. rom. lib. I. Tit. II. §. 37.
 *** §. 8. Inst. de iur. nat. gen. et ciu. L. 2. §. vlt. D. de Orig. Iur. Neque vero tantum coniunctim omnibus, vt CONNANVS. I. Comm. 15. n. 5. HEIGIVS ad dist. §. 8. Inst. I. N. G. et C. n. 8. et alii existimant, sed et singulis hoc beneficium fuit concessum. vid. BERGER dissert. iur. select. p. 112. Dubio hac de re IAC. GOTHOFREDI in Comment. ad Cod. Theod. Lib. I. Tit. IV.

p. 37. satisfecit THOMAS. de naeuis Iurispr. antieinst. Lib. II. naeu. 20. p. 67.
 **** L. 2. §. 47. D. de Orig. Iur.
 * Lib. III. Annal. c. 70. et 75.
 ** de illustrib. Grammat. c. 22.
 *** HOFFMANN hist. iur. p. 310.
 **** L. 2. §. 47. D. de Orig. Iur.
 *** de eo HORATIUS ita cecinit: Lib. I. Sat. III. v. 40.
 - - vt ALFENVS vaer, omni obiecto instrumento artis, clausaque taberna futor erat.
 conf. Scholasten ad h. l.



MONAE sutrinam exercuisset: tamen AVGVSTI gratiam est expertus. Namque, postquam clausa ac relicta taberna se contulisset ROMAM, vt in iure SERVIVM SVLPICIVM, hac aetate maximae auctoritatis iurisconsultum audiret, ab eoque in scientia iuris erudiretur atque adeo profecisset, vt illa excelluerit: consulatum ex merito est consecutus.* En! diuersam fortunam eorum qui iuri sese dicabant, et qui ex infima plebe nati ad summum honoris fastigium propria virtute ac scientia adscendebant, quum praeteritis temporibus nulli ad consulatum via esset, quem iurisscientia tantum commendabat. Eadem laetiori fortuna fruebantur sub Imperatorum, qui succedebant, imperio, si CALIGVLAM excipimus, qui totum iurisconsultorum ordinem aboliturum se saepius minabatur.** Hinc iurisconsulti semper responsa dabant et iis vel iudices vel clientes de iure instruebant. Quod vero maximum est, erant Caesarum carissimi et intimi, iisque a consiliis. TIBERIVS Caesar M. COCCEIVM NERVAM habebat familiarissimum;*** TRAIANVS cum NERATIO PRISCO amicitiam colebat;**** AEL. HADRIANVS pluribus familiariter vsus est, CELSO filio, SALVIO IVLIANO, aliisque; * ANTONIO PIO a consiliis erant VLPVS MARCELLVS, VINIDIVS VERVS, SALVISIVS VALENS, VOLVSIVS MAECIANVS et IAVOLENVS; ** consilio SEPTIMI SEVERI erant adscripti IVLIVS PAVLLVS, TRYPHONIVS, MESSIVS et PAPINIANVS; * ANTONIVS CARACALLA in consilium admisit CERBIDIVM SCAEVOLAM PAPINIANVM et ARRIVM MENANDRVM; ** ALEXANDER SEVERVS autem tanto in pretio habuit iurisconsultos, vt nullam constitutionem, nisi antea vigenti praestantissimi consilio

* L. 2. §. 44. D. de Orig. iur.

** vid. SVET in eius vita c. 34.

*** TACIT. Annal. lib. IV. c. 58. et lib. VI. c. 26. conf. L. 2. §. vlt. D. de Orig. iur.

**** SPARTIANVS in ADRIANO.

* HOFFMANN hist. iur. p. 408.

** CAPITOLIN. in vita M. ANTONINI C. 12. conf. BRVNVVEL. hist. iur. p. m. 141.

*** HOFFMANN I. c. ead. pag.

**** L. II. §. 2. D. de min. XXV. ann.

lio adprobauerint, fanciuit. * Cuius hoc gratiae singularis documentum est, quod DOMITIVM VLPIANVM amicum suum vocauerit. ** Haec iurisconsultorum in oratores victoria aperuit plurimis tum viam, tamdiu circumseptam ad consulatus dignitatem, aliosque honores. Consulatum enim gesserunt CAELIVS SABINVS, ** MARCVS COCCEIVS NERVA ** PEGASVS, * NERATIVS PRISCVS ** IVVENTIVS CELSVS, aliique. Alii vero aliis splendidis muneribus condecorabantur, suique laboris ac sudoris praemia reportabant amplissima. ** Tandem autem post MODESTIVM iurisconsultorum oracula, quasi obmutescere coeperunt, quum tunc magis auctoritate Caesarum, quam responsis prudentum causae controuersae fuerint diremitae. *** Quum iam satis ostenderit quam humilis ac contempta in statu liberae reipublicae apud Romanos iurisprudencia fuerit, et quam feliciter ea denique ad summum gloriae apicem adscenderit, adeoque iurisconsulti suos consliterit denuo honos atque decus, non a scopo nostro alienum visum nobis fuit, iurisconsultum honoris vindicem et oratoris demum victorem laudi TVAE, NOBILISSIME AC CLARISSIME EGERLANDE, praeftruere, et TIBI strenuo iuriscultori, honores istos, qui TE expectant praesagire, ominarique, TE in posterum gloriam iurisprudenciae amplificaturum, diligentiae ac scientiae TVAE debita reportaturum praemia atque ornamenta. Superfluum esset TE multis cumulare elogiis, quod magis adulatorum est, quam amicorum. Eruditio TVA non indiget aliena laude, quum propriis speciminibus abundet, et iis tatis sit conspicua. Non obiter libasti iuris scientiam, superfi-

* LAMPRID. in vita ALEXANDRI SEVERI c. 16.

** L. 4. C. de contrah. et committ. stip.

** TACIT. Hist. lib. IV. c. 77. et annal. lib. IV. c. 58.

** §. 5. Inst. de fideicom. hered.

* L. 6. D. ad Leg. Corn. de Sicariis.

** GRVTER inscr. p. DLXXXIII. 2. et L. 20. §. 6. D. de hered. petit L. 2. §. vlt. D. de Orig. iur.

** L. 2. §. vlt. D. de Orig. iur.

** vid. BRVNQVELL hist. iur. p. 129.



cie rerum non contentus, sed in earum penetraffi fundum. Loquuntur id ingenii monimenta, quae non solum nobis obtulisti, sed et quae publice eruditorum examini subiecisti, et tam opponendo, quam defendendo talem TE praestitisti, qualem exoptant Patria, meritissimus Parens, et omnes boni, et in primis, qualem TE nos esse voluimus, et TE nunc fuisse laetamur. Ceterum TIBI commendamus pietatem in Deum, summum legislatorem, bonorum remuneratorem largissimum, malorum vindicem grauissimum; reuerentiam in superiores; inuiolatam et constantem amicitiam sine vlla laesione in societatem. Haec si curatius obseruaueris TIBI erit conscientia recti, TIBI obtinget omnis salus atque felicitas, et TE expectabunt in dies meliora ac laetiora. Vale et in Alma Fridericianna perge virtutis et doctrinae stadio strenue decurrere et nobis gratum TVVM animum, nostrique memorem non solum conseruare, sed reapse testificari. Vale iterum et nos ama, qui TE amamus plus, quam solemus. Dabamus in Athenaeo juxta Salam die III. mensis Aprilis
A. S. R. ∞ Icccxxxviii.



Jena, Dissy 1749-50



f 1018
sb.





DISSERTATIO EPISTOLICA
HISTORICO-IVRIDICA

38. 8
1749, 8

DE
IVRISCONSULTO, AB ORATORE DEVICTO
ORATORIS TANDEM VICTORE

QVA
ABITVM EX HAC ACADEMIA
VIRI IVVENIS NOBILISSIMI, DOCTISSIMI
AC CLARISSIMI
**IOANNIS FRIDERICI
EGERLANDI**

BORVSSO-POMERANI
IVR. CVLTORIS ASSIDVI, SOCIETATIS IN INCREMEN-
TVM VIRTVTIS AC DOCTRINAE IN ATHENAEO
IVXTA SALAM EFFLORESCENTIS
MEMBRI ORDINARI

NOMINE
DICTAE SOCIETATIS
CELEBRAT
CHRISTIANVS IACOBVS VEIELIVS
VLMENSIS
I. V. CVLT. ATQVE EIVSD. SOCIETATIS COLLEGA ORD.



I E N A E
EX OFFICINA TENNEMANNIANA.
A. S. R. ∞ MDCC XXXXVIII.

